

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

EVANGELIUM. MATTH. XIX.

In illo tempore, dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter meum nomen, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

CONCIONES.

- I. S. Paulus Benjaminio comparatur.
- II. Quomodo etiam sæculares sua relinquere possint ac debeant.
- III. Qua in re consistat religiosorum centuplum.

CONCIO I.

S. PAULUS BENJAMINO COMPARATUR.

I. Quia Ecclesiam primo persecutus. — II. Quia specialibus prærogativis donatus. 1. Animo alacri, intrepido. 2. Cœlesti sapientia. 3. Potentia spiritus. — III. Quia persecutionibus magis exercitus. — IV. Quia lupus mane rapiens, vespere prædam dividens. Spolia, quæ nobis divisit : 1. Lætitia singularis. 2. Splendor religionis nostræ. 3. Robur fidei nostræ. 4. Spes et solatium nostrum. 5. Documentum.

THEMA.

Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, et vespere dividet spolia. Gen. XLIX.

Omnes fere sancti patres asserunt Benjaminum, ultimum Jacobi patriarchæ filium, fuisse typum et figuram S. Pauli apostoli. Nec immerito; nam primo, Paulus asserit se oriundum e tribu Benjamin, Rom. XI. et ad Phil. III. Secundo, Benjamin erat ultimus et minimus filiorum Jacobi : sic etiam S. Paulus ultimus omnium vocatus est ad apostolatam, unde et minimum se vocat apostolorum, I. Cor. XV. Tertio, quæ de Benjamin gesta narrantur in ss. litteris, recte quadrant in S. Paulum, uti mox videbimus.

I. Gen. XXXV. causavit Benjamin matri suæ

- IV. De sanctorum cum Christo judicantium gloria, reproborum judicandorum confusione.
- V. Documenta et mysteria.

Rachel partus dolorem et difficultatem, imo mortem ipsam. Unde ea jam imminente vocavit eum mater Benoni, sive filium doloris mei : pater tamen postea appellavit eum Benjamin, id est, filium dexteræ. Rachel secundum Isidorum et Eucherium significat Ecclesiam (uti Lia lippa significat synagogam). Hanc igitur magnis doloribus afflixit noster Benjamin, antequam Christo nasceretur, et in lucem ederetur evangelii, inquirebat enim et illigabat, incarcerabat et condemnabat Christianos, uti fatetur ipse, Act. XXVI. et patet vel in nece S. Stephani. Unde non immerito poterat eum Ecclesia tunc vocare filium doloris sui. Idcirco Ananias de eo dixit ad Christum : Domine, audivi a multis, quanta mala fecerit sanctis tuis, Act. IX. Nec diffitetur hoc ipsemet, siquidem propterea, I. Cor. XV. vocat se : *Abortivum et minimum apostolorum, qui non sit dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sit Ecclesiam Dei.* At vero postquam Christo natus est, et nova fidei luce perfusus, vocavit illum Dominus filium dexteræ, sive, fecit illum validum et fortem ad convincendos Judæos. Unde mox ingressus synagogas : *Convalescebat et confundebat Judæos, Act. IX.* Fortem ad quævis adversa toleranda, juxta id : *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati, ibid.* ad hæc ipse ait : *Omnia possum in*

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

249

eo, qui me confortat : rursus transtulit eum a sinistra reproborum ad dexteram electorum, ab hædis ad oves, de persecutore fecit apostolum, quæ certe mutatio dexteræ Excelsi est. Secundum Cyrillum Rachel significat synagogam. Hæc enim a filio suo Saulo postquam factus est Paulus et Christianus, mirum in modum torta et angustiata, imo prorsus enecta est, et quantum de ejus conceptione prius gavisus erat, tantum postea de ejus nativitate, ad christianismum videlicet conversione indoluit. Inde Actor. XXIV. vocat eum, *hominem pestiferum*, quia nimirum agnovit eum pestem fore sectæ suæ, uti et factum est. Nam in omnibus suis concionibus et epistolis docuit et ostendit legis abrogationem veteris, et novam promulgavit. At vero Christus, pater ejus vocavit eum filium dexteræ, hoc est, fecit eum a Judæis transire ad gentes, ex doctore Judæorum doctorem christianismi, ex Judæo Romanum, et gentium apostolum. Unde quam primum designatus fuit gentium apostolus, et convertit primum gentilem Sergium Paulum proconsulem Cypri, mutavit nomen, et ex Saulo factus est Paulus, nomine Judaico mutato in Romanum, ut videre est, Act. XIII.

II. Gen. XLIII. et XLV. tria singularia beneficia accepit a Josepho fratre, principe Ægypti. Primo enim, in mensa plures accepit ab eo portiones, ita ut quinque partibus superaret fratres suos, Genes. XLV. secundo, trecentos argenteos, Genes. XLV. tertio, quinque stolas optimas, cum cæteri ejus fratres accepissent singuli binas tantum, adeoque ultra sortem fratrum tria amplius accepit, nimirum quinque portiones, trecentos denarios, et tres stolas. Ita S. Paulus tria peculiariora dona ad evangelizandum, triplicemque gratiam ad persuadendum mire efficacem accepit a Christo (cujus typus fuit Joseph salvator mundi dictus a Pharaone), teste S. Chrysost. in epist. ad Eph. III. in morali, hom. VI.

Primo, animum alacrem, audentem, ferventem, et ad omnia intrepidum. Unde in ipsis vinculis et in medio accusatorum, et coram præsidibus ac principibus confidentissime loquebatur, et annuntiabat Christi fidem, gratiam et vocationem suam. Sane coram Nerone, cum ob ferociam illius imperatoris omnes eum deseruissent, ipse solus perstitit, et coram pavendo illius tribunali libere se defendit, fidemque prædicavit, uti testatur ipse II. ad Tim. IV. dicens : *In prima mea defensione nemo mihi adsuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit et confortavit me, ut per me prædicante, et audiant omnes gentes; et liberatus*

V. PARS FESTIVALIS.

sum de ore leonis, id est, Neronis, ut exponit Chrysostomus et alii. Etenim ipse ferarum pellibus insutos homines canibus object; alios in usum nocturni luminis combussit, etc. teste Tacito, lib. XV. Agnosce hic in Paulo portiones cibi majores, quibus adeo confortatus fuit a Christo; quodque magis mirum, mox a conversione. Audi Lucam, Actor. IX. *Et cum accepisset cibum, inquit, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui crunt Damasci per aliquot dies, et continuo ingressus synagogas prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, etc.*

Secundo, cœlestem quamdam sapientiam; quam designant trecenti illi argentei. Audi Paulum ipsum ad Ephes. III. *Mihi, inquit, omnium sanctorum (id est Christianorum) minime data est gratia hæc in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innolescat principatibus, et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ecce angelos erudit Paulus : nec mirum, quoniam et ipse in cœlum raptus, et in cœlesti schola eruditus audivit arcana verba, uti fatetur II. Cor. XII. ibique factus est doctor orbis, necnon magister angelorum. Quantæ sapientiæ divitiæ ! Unde S. Dionysius ejus discipulus vocat eum *communem nostrum solem*, lib. de divinis nominibus, c. VII. Sol autem illuminat non solum infera sed supera, et firmamenti ipsius stellas. Ideo S. Chrysost. præfat. in epist. ad Rom. monet, ut Paulus ab omnibus etiam laicis legatur, vel saltem audiatur explicatus.

Tertio, potentiam spiritus cum vita inculcata, quam significant stolæ illæ optimæ. Hac enim divina quodammodo dicendi efficacia, non humanæ sapientiæ ornatu vestitus fuit sermo S. Pauli. Unde ait I. Cor. II. *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, etc.* Ea vero tanta fuit, ut Felicem præsidem, quantumvis impium et scelestum tremefecerit, Actor. XXIV. et Lycaonios ita commoverit, ut dicerent ipsum de cœlo descendisse, et esse Mercurium, Act. XIV. et innumeras regiones barbaras brevi tempore converterit. Ut denique S. August. ex relatione multorum inter alia tria optatissima nil magis optaverit, quam audire Paulum concionantem : *Sicut enim radii solis orientibus, inquit, S. Chrysost. hom. IV. de laudibus S. Pauli, fugantur tenebræ, feræ latitant, recondent se fures et latrones : sic prædicatione fulgente, et evangelium disseminante Paulo suabatur error, veritasque remeabat,*

idolatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaque dicta fœda defecerunt atque consumpta sunt.

III. Gen. XLIV. in sacco Benjamin clanculum imponi jussit Joseph scyphum suum argenteum, sicque dimisit in fratres, moxque revocatos tamquam ablati scyphi reos in angustias redegit, comprimis viro Benjaminum, quem ob deprehensum in ejus sacco scyphum, in servum sibi poscit, solumque retinere contendit: quamquam id omne, non ex odio, sed potius ex amore et per ludum fecit. Ad hunc etiam modum egit Christus cum discipulis suis, quibus omnibus calicem passionis, persecutionum, calamitatum, tormentorum et martyrii hauriendum dedit, sed imprimis Paulo, quem pluribus et gravioribus æumnis, ac persecutionibus voluit exercere. Idcirco enim de illo ad Ananiam dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel: ego enim ostendam illi, quanta oporteat cum pro nomine meo pati.* Actor.

IX. Nimirum voluit Christus elaborare illud vas pluribus malleis, tusionibus et pressuris ut electum fieret: quemadmodum et scyphus, qui debet fieri elegans, sæpius igni adhibetur, magis elaboratur, etc. Hunc calicem se Christo libasse et sacrificasse non obscure significat S. Paulus II. Cor. IV. dum citat Psalm. CXV. qui est de offerendo calice passionis. Clarius et plenius II. Cor. I. cum ait: *In laboribus pluribus, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepti. Ter virgis cæsus sum, ter lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui: in itineribus, sæpe periculis fluminum, periculis latronum, etc.* Hic fuit ludus veri illius Joseph, cum nostro Benjamin: per quem eum ad tempus affligere et exercere voluit, ut postea tanto magis gaudiis perfunderet: sicut Joseph idcirco tamdiu distulit et afflixit Benjaminum, ut postea ejus gaudium, cum se fratrem ejus indicaret, tanto magis cumularet. Unde patet tribulationes signa esse amoris non odii, juxta id Sap. III. *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit eos.*

IV. Gen. XLIX. Benedicens Jacob filio suo Benjamin, ait: *Lupus rapax, mane comedit prædam et vespere dividet spolia.* Ejusmodi lupus et Paulus fuit, qui mane quidem, hoc est ante conversionem fuit lupus diaboli, dum rapuit oves Christi, et dispersit ejus greges, Act. VIII. Vespere vero, hoc est, per conversionem factus est lupus Dei, dum eripuit diabolo, quam attulerat ei prædam, et tulit ad Christum. Divisit spolia, dum sacra

evangelii eloquia gentilibus dispertit. Merito autem Paulus comparatur lupo. Nam primo, lupus rapax et truculentum animal est, ac cruoris appetens, ex oculis ignem spirans: talis etiam Paulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini. Secundo, lupus vastat integrum gregem, non contentus unam aut alteram laniasse ovem, reluctantes secum trahit. Ita Saulus devastabat Ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam, Actor. VIII. Tertio, lupus majorem bestiam aggressurus, ventrem onerat terra, ut majore vi ac mole eam retinere ac prosternere queat, Pier. lib. XI. hierogl. ita etiam Saulus, ut majore impetu, vi et auctoritate raperet Christianos, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum, ut si quos ibi invenisset Christianos vinetos perduceret in Jerusalem. Et talis quidem erat Saulus mane: vespere autem totus a se alius non enim ignem tum ex oculis spirabat, sed visu destituebatur. Non jam sanguinem appetebat, sed nec comedere quidem aut bibere per triduum valebat: non modo, quos quærebat, non trahere ad custodiam vinciendos, sed ipse, cum prostratus et nimio terrore consternatus incedere non posset, manibus trahebatur in Damascum: non jam vastabat Christi gregem, sed ei aggregabatur, et ab una ovicularum frater appellabatur: *Saule frater*, inquit Ananias, Act. IX. non jam epistolis Judæorum terrebat Christianos, sed mandato Christi præcordiis suis inscripto, impugnabat et confundebat Judæos. Ecce Paulum vespere spolia dividendum.

Sed quænam illa spolia, quæ divisit nobis?

Primum, lætitia singularis, quia hodie e castris hostium, dux præclarissimus transiit ad nos et ad partes nostras. Sic lætatur David, cum transit ad eum Abner princeps militiæ domus Saul, spondens se reducturum ad eum universum Israel: fecitque ei convivium, II. Regum III. cur ergo non et nos cum lætitia excipiamus transeuntem hodie ad nos Saulum, qui cum prius magnas nobis intulisset clades, nunc a parte nostra est, pro nobis pugnat? « Multos enim, inquit Sanctus Bernardus, I. in hoc f. idem probare volens) ab hac radice ramos prodiisse videmus. Conversus Paulus, conversione minister factus est universo mundo. Et multos quidem in carne adhuc, sed non secundum carnem ambulans, prædicationis officio convertit ad Deum, nunc quoque in ipso feliciter vivens et apud ipsum, ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: dico autem exemplo, oratione, doctrina. » Sic Bernardus. Certe ejus epistola ad Romanos peperit nobis S. Augustinum.

Secundum, gloria et splendor religionis nostræ. Non enim quomodocumque ad religionem nostram transiit, sed a cælo vocatus mirabiliter, imo compulsus ab ipso Christo. Petierant olim a Christo signum de cælo Pharisei et Sadducei, Matth. XVI. Ecce nunc signum tale: ecce tibi Christum de cælo respicientem super Ecclesiam in præsentissimo periculo (cum scilicet lupus jam appropinquaret Damasco); eamque defendentem, quemadmodum et aquila tuetur nidum suum. Clamat de cælo caput pro membris. Quænam alia gens, quæ habeat Deum ita propinquantem sibi? Hinc Christiani in Damasco tam solliciti fuere, servare Paulum ab insidiis; ita ut per murum demiserint eum in sporta, ne comprehenderetur a præposito urbis, quia testis erat religionis nostræ omni exceptione major.

Tertium, robur et certitudo fidei nostræ. Quia enim ratione tantus Judaicæ legis emulator, et hostis evangelii, qua, inquam, ratione tantus legis doctor, tam repente totus immutatus est, ut ex persecutore fieret prædicator evangelii, ex lupo rapaci agnus mitissimus, nisi quia hæc mutatio fuit dextera Excelsi? Quomodo Saul nunc inter prophetas, nisi quia Spiritus Domini irruit in eum, qui alioqui venerat perdere Davidem? Quomodo nunc Balaam benedicit populo Dei, qui venerat maledicere, nisi quia a Deo sic jussus et coactus est? Quomodo Saulus tam repente alius, convalescebat et confundebat Judæos, nisi quia in fide nostrâ ab ipso Christo mirabiliter est edoctus.

Quartum, spes et consolatio nostrâ. Si enim tantus Dei hostis, tam cito ei reconciliatus est, et tantam adeptus est gratiam, ut vas electionis fieret, quis in posterum diffidat de Dei bonitate et misericordia? Quis de gratiæ divinæ efficacia? Mirantur S. Ambrosius et S. Basilius, necnon Aristoteles et Plinius, echineida, sive remoram exiguum pisciculum, qui vastissimas naves, etiam ventorum vi agitatas, nullo suo labore, solum adhærendo sistit et remoratur. Quanto magis mirum, uno Christi verbo, hominem turbibus iracundiæ in barathrum ruentem, tam repente sisti? Ejus æstus inhiberi, imo in contrarium flecti? Ad Christum quem cane pejus et angue oderat tanto impetu trahi? Eique per amorem arctissime uniri? Hanc igitur in se Dei potentiam et misericordiam cum stupore prædicat apostolus, I. ad Tim. I. dicens: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam*

æternam. Quis nunc pœnitens non speret veniam et gratiam, cum Saulum blasphemum et persecutorem Christi ab eo non solum in gratiam, sed et ad apostolatam intimamque amicitiam receptum videat.

Quintum est documentum, ut quam primum audiamus vocem et inspirationem Dei nos vocantis, arguentis, castigantis, et mox cum Paulo dicamus: *Domine quid me vis facere?* Sed non est expectanda ipsiusmet Dei instructio: *Ingredere civitatem*, ait illi Dominus, *et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Audi Ananiam, concionatorem, confessarium tuum, illi tibi dicent, quid te oporteat facere, illi manum imponent, et visum restituet, et gratiam Spiritus sancti conferent. Ibi per triduum occupa te. Primo die deplora peccata tua per contritionem: secundo die exonera ea per confessionem: tertio puni ea per satisfactionem, et ambula in novitate vitæ. Si mane rapuisti noli rapere vespere; sed potius divide tua pauperibus: *Qui furabatur*, ait apostolus ad Ephes. IV. *jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* Id enim fecit etiam Paulus, quem si secuti sumus sapientem, sequamur etiam prædas dividendum.

CONCIO II

QUOMODO ETIAM SÆCULARES RELINQUERE OMNIA POSSINT, AC DEBEANT.

I. Egestatem æquo animo ferendo. — II. Jacturam bonorum æque ferendo. — III. Sollicitudinem et curas deponendo. — IV. Statuendo omnia potius relinquere quam Deum offendere. — V. Nos ipsos mortificando.

THEMA.

Ecce reliquimus omnia et secuti sumus te.
Matth. XIX.

Genesis XIX. legimus justum illum Loth ab angelis duobus monitum, ut exiret de Sodoma, quam Dominus perditurus esset incendio, adeoque eductum esse de civitate, dicentibus angelis in itinere: *Salva animam tuam, ne stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Verum Loth senio confectus, et montis proclivitate terribus, respondet: *Quæso, Domine mi, non possum in monte salvari. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea.* Concesserunt angeli et inde vocata est illa civitas Segor, id est, Parva. Monet in hodierno evangelio Dominus, ut de Sodoma exeamus, cupiditate videlicet

terrenorum, si in illa perire nolumus, et ut montem perfectionis et paupertatis per contemptum mundi ascendamus, animasque nostras salvemus. Sed heu nimis debiles et infirmi sumus ad montem tam excelsum superandum: quomodo enim sequamur robustos illos Domini discipulos dicentes: *Ecce reliquimus omnia?* Numquid non alia via superest salvandi animas nostras ab incendio gehennæ? Est sane, et quidem plana, etsi parvæ perfectionis. Est modus aliquis relinquendi patrem et matrem, fratres et sorores, filios et filias, domum et agros, etsi minus perfectus, quo retineamus illa. Igitur si ad montem illum perfectæ paupertatis ascendere non possumus, divertamus in Segor, sequamur imperfectam. Quam saltem nisi sequamur, non video quomodo incendium gehennæ evadere possimus.

I. Cum egestatem et carentiam bonorum temporalium æquo animo ferimus, et paucis ac paupertate nostra contenti sumus, eamque sortem tam libenter acceptamus, ac si sponte elegerimus, nec plura, maxime aliena concupiscimus, vel quærimus. Sic enim saltem superflua reliquimus, imo omnia divinæ dispensationi. Religiosus censetur sua reliquisse, si a prælato suo libenter acceptet quicquid illi datur ad vitæ necessitatem, licet parum id sit, et aliis religiosis longe plus dari soleat: ita suo modo etiam omnino relinquere dicitur, qui omnia gratanter accipit a Deo, licet parum sit; quando cogitat paupertatem sibi non casu aliquo evenisse, sed ordinatione et voluntate patris cœlestis, cui merito omnes conformari debent. Ita filius, qui præ omnibus fratribus minimum accepit a patre patrimonium, si id acceptet lubens et cum gratiarum actione, nec murmuret ob inæqualitatem sibi factam, nonne censebitur sua reliquisse, utpote, quæ jure petere poterat? Hoc pacto reliquit Abraham universam terram cognato suo Loth, dum opinionem eligendi, quam partem vellet, dedit, ipse vero a Deo portionem suam expectavit, Gen. XIII. Hoc modo reliquisse censendus est Lazarus, pompam et lautitiam epulonis, siquidem micæ tantum panis, non cupedias epulonis expetebat, cum interim ambo Deum patrem haberent: epulo nimium, ipse nimis parum, adeoque nec micæ accepit, sorte tamen sua contentus, de divite non murmuravit. Imo in hunc etiam modum Petrus sua reliquit. Quid enim putatis eum reliquisse? *Quid aut quantum reliquit, qui pene nihil habuit?* inquit Greg. ho. V. evang. quid enim præter rete et naviculam habuisse scribitur? Sed nimirum multum dimisit: *Qui etiam desideria habendi dimisit, multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis resignavit,* ut ait Greg.

unde ibidem applicat eis id Isaia LX. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Et quasi columbæ ergo ad fenestras suas? Quasi columbæ ergo ad fenestras suas sunt* (ait) *qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, et in hæc, quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur. At contra milvus, et non columba ad fenestras suas est, qui ad ea, quæ oculis suis considerat, rapinæ desiderio anhelat.* Hæc ille. Igitur si quis parum habet, potest tamen multa concupiscere et avidè quærere, tandemque sibi sive per fas sive per nefas comparare, ut ille Luc. XII. *Destruam horrea mea, et majora faciam.* Uade S. Bonavent. process. VI. relig. c. XXXI. ait: Alia esse horrea cupiditatis ampla, quæ impleri nequeant, alia necessitatis angusta, quæ facile impleantur. Et facile est, ut plurimum, relinquere sua pauperes, sed desideria habendi et plura acquirendi non item. Igitur quemadmodum religiosus merito diceretur renuntiasset omnibus dignitatibus, qui cederet juri suo, ne unquam eligeretur ad ullam dignitatem, nec ullam unquam quæreret: ita etiam, qui non quærît amplius, quam habet, et cætera omnia libenter relinquit aliis, non immerito dicitur omnibus retinuisse. Unde Greg. ubi sup. ait: *Multa fratres relinquitis, si desideris terrenis renuntiatis.* Potes igitur relinquere uxorem, cum aliam præter tuam non concupiscis; filios, cum iis, quos habes, vel non habes, contentus es; domum, cum ampliorem et splendidiorem non appetis; agros, cum præter duos vel tres, quos habes nullum concupiscis. Atque utinam vel hoc modo bona temporalia relinqueremus, quia scriptum est: *Non concupisces rem proximi tui;* nec licet tibi vel appetere, vel usurpare, quam quod jure consequi potes, quia sub ordinatione supremi rectoris contentus vivere debes, sicut religiosus sub prælato: et quemadmodum religiosus contra voluntatem prælati quidpiam sibi assumens meretur ejici de monasterio et sepultura privari; quemadmodum alicui suo tempore factum scribit S. Greg. IV. dialog. cap. LV. monacho proprietario, quem seorsum cum pecunia inventa sepelientes fratres dixerunt: *Pecunia tua tecum sit in perditionem,* ita etiam meretur et puniri ille, et sepeliri in inferno cum epulone, qui sua sorte non contentus, etiam aliena quærît, uti contigit Achani, Jos. VII. *Igitur si necdum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena,* inquit, Gregorius, loco cit.

II. Cum bonorum temporalium jacturam æquo animo ferimus, nec ob eam indignamur; aut cum substantia tua perit, vel cum labore et industria tua parum vel nihil lucri facis, veluti si multum

seminaveris et nihil metas, quia grandine, vel aliter periire fruges. Nam in hoc etiam casu potes ex necessitate facere virtutem: quia potes cogitare te jacturam hanc ob peccata tua commertum esse, vel tibi valde utilem et necessariam esse, ne substantia illa, vel lucro abuti posses, et quo modo aviculæ truncantur pennæ, ne avolet, ita tibi Deum truncasse substantiam, ne in crassatus in eum recalcitrares. Probatur autem hic modus relinquendi, quia si auferenti tibi pallium non resistis, neque verberare, neque verbo, nonne diceris pallium ei reliquisse? Cur ergo non idem dicamus, si auferenti tibi substantiam tuam Deo, vel diabolo, aut malis hominibus non obmurmuras, non obloqueris, sed patienter fers? Sic enim S. Job sponte quidem non reliquit bona sua, sed auferenti ea sibi dæmoni nequaquam restitit, nec verbum oblocutus est, etiam sibi pellem abstrahenti, sed hoc totum Deo resignavit: *Dominus dedit, Dominus abstulit,* etc. Nec tamen minus laudatur in Scriptura quam si illa omnia sponte reliquisset, quinimo per hoc perfectionem voluntariæ paupertatis assecutus est, cum dixit: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc,* cap. I. Sanctus Juniperus post factam sibi a superiore inhibitionem, ne in posterum vestes suas sibi detrahendo pauperibus daret, cuidam deinde petenti stipem, dixit: *Mihi nihil est, quod tibi porrigam, nec tunicam meam licet per præsidem meos tibi impertiri, potes tamen, si placet, illa me spoliare,* ut refert Raderus, in virid. sect. V. p. III. III. Id ipsum nos Deo possumus et debemus dicere. S. Remigius collectis pro futura annona, quam prævidit, acervis tritici, et a malitiosis hominibus incensis, eminus ad ignem stetit, quasi ad eum se calefaciens, et oblatrantibus incensoribus respondit, omni tempore bonum esse focum, ut in Surio, tom. I. ex Hormisdæ epist. Potes et tu similiter relinquere parentes, uxorem, liberos, fratres, cum quo ad eos repente voluntati Dei te conformas et patienter fers; potes domum, cum conflagrat; potes agros, cum grandine vastantur; potes alia. Dic tantum cum Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis ejus, faciat,* I. Reg. III. Sed o quam difficulter hoc aliqui possunt! Quam multi Deo oblatrant, et cum re fluxa æternam sibi mercedem parere possunt, utramque perdunt, et pœnam sibi adsciscunt? Utinam saltem in articulo mortis, cum temporalia omnia necessario relinquere debemus, ea sic relinqueremus, antequam ab iis relinqueremur: et omnem nostram cogitationem a temporalibus ad æterna transferemus. Certe hoc docent Syri illi, IV. Reg. VII. qui audientes sonitum in castris suis quasi curruum et equorum, et exercitus plu-

rimi (quem sonitum Deus in terrorem eorum excitaverat) fugerunt in tenebris derelinquentes tentoria, equos et asinos, et omnia, animas tantum suas salvare cupientes: ita etiam morituros sonitum audire facit Deus, tubæ videlicet illius terribilis: *Venite ad judicium,* etc. Et væ tibi nisi tunc vel saltem, quoad affectum relinquant opes tuas, capieris enim una cum illis, atque ita et opes perdes et animam. Ergo si sapis, cura ut hanc unam salves.

III. Cum sollicitudinem et curas bonorum deponis, atque ita, ut apostolus præcepit, uxorem habens quasi non habeas, et emens quasi non possideas, et utens hoc mundo, quasi non utaris: et ut I. Pet. V. dicitur: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Sic enim principes omnia sua committunt suis præfectis, ne ipsi solliciti esse debeant. Ita Putiphar ille Ægyptius herus, omnia sua commisit dispensationi Josephi, nec noverat aliquid in domo sua nisi panem, ut dicitur, Gen. XXXIX. id est, nullius rei curam gerebat, nisi ut accumberet mensæ, et frueretur iis, quæ parasset Joseph. Ad eundem modum, licet filio familias sub patre adhuc degente plurima quotidie accrescant, vel decrescant, cum sit ipse futurus hæres, ipse tamen horum curam nullam agit, sed mensæ tantum assidet et comedit. Unde si diceretur tali filio: *Ecce res tua periclitatur, pater tuus damnus patitur, ipse nihil tristaretur: vel: Ecce magna tibi hæreditas, magnum lucrum hodie patri accessit, ipse nihil gauderet, quia habens bona quasi non habet, dum nihil curat.* Curæ et sollicitudines pedissequæ sunt bonorum temporalium, et partus avaritiæ et cupiditatis, quæ si abessent, bona parum homini nocere possent: unde qui curas illas a se abigere novit, et relinquere, bona etiam sua relinquere, censebitur: sicut qui fruges arborum suarum deserit juxta vias publicas sine custode dicitur eas relinquere, non quod omnino relinquat, quia vult aliquando eas decerpere; sed quod non sit de iis sollicitus, licet aliquid inde diripiatur. Quia in re non est necesse, ut omnem rerum tuarum curam deponas, sed ne nimium anxius sis, et ne cogitationes tuas omnes illis impendas: potius rebus divinis et animæ tuæ salutem vacas, illucque omnem curam et cogitationem convertas, reliqua Deo committas. Qua de re audiamus S. Gregorium papam, ho. XXXVII. « Admonere vos volo, inquit, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non te neamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat; ut sub mentis vestræ sit dominio,